

actione impressionem, sed intelligendum est, quod potentia, seu virtus inferior ex subordinatione, et conjunctione ad superiorem imperantem, producit effective actum cum ordine, et tendentia ad finem superioris, seu imperantis, quem se sola non produceret, vere tamen, et realiter ab illo principio a quo elicitur habet actus hunc ordinem, ut ab efficienti proximo.

LVI. Quid autem accipiat inferior potentia, seu virtus ex tali subordinatione, ut producat in actu id quod alias ex sua sola virtute non poterat, præsertim quando in actu producitur ordo ad finem supernaturalem, et virtus imperata est acquisita, et naturalis ordinis?

LVII. Respondetur in hoc esse duplicem modum dicendi, quidam dicunt sive aliqua reali additione, seu virtute impressa a principio superiori, et imperante posse elici actum imperatum cum tali ordine per solam sympathiam, et conjunctionem inferioris virtutis cum superiori. Qui modus dicendi difficile salvus, quomodo possit realis influxus, et elicientia procedere ab ista virtute inferiori circa actum illo perfectiori ordine reali affectum, et elevatum, sine hoc quod in se non habeat realiter, et intrinsece majorem virtutem acceptam a superiori. Vel quomodo possit ille perfectior, et elevatior modus, et ordo fieri in tali actu sine novo reali, et perfectiori influxu. Alii dicunt imprimi a superiori virtute, seu potentia imperante in inferiori aliquam vim, aut motionem, qua inferior virtus fortificetur, et perficiatur ad producendum in actu illum perfectiorem, et elevationem ordinem, etiam si supernaturalis sit, et sic inferior virtus, non solum extrinsece conjungitur, et subordinatur superiori imperanti, sed etiam reale aliquid ab illa participat, quo in se perficiatur, et actu-

etur ad operandum aliquid in actu, quod ex propriis meritis non poterat. Quam sententiam late defendimus, et ostendimus esse D. Thomæ, in libris de anima, quæst. XII, art. VI. Et juxta illam cessat difficultas argumenti.

## SEPTIMA DIFFICULTAS.

LVIII. Quæ petit, an possit idem actus esse bonus ex objecto, et malus ex fine, vel e contra, tractabitur infra disputatione sequenti, articulo quarto.

## ARTICULUS IV.

*Quomodo circumstantia sit principium moralitatis in actu?*

I. Ultimum principium, a quo sumitur bonitas, vel malitia in actu sunt circumstantiæ, quæ dant bonitatem, vel malitiam accidentalem actui morali etiam in linea, et ordine morali, quia accidentia ejus sunt, ut supra explicavimus in notabilibus, quæst. VII. De his circumstantiis amplius agemus disputatione decima sequenti. Et supponenda sunt, quæ de eis, earumque numero, et singularum explicatione diximus supra quæstione septima.

II. Nunc breviter tria solum advertenda sunt. Primum, quomodo dicatur aliquid circumstantia accidentalitatis, et quomodo sit volita, sive quando manet circumstantia, sive quando transit in conditionem objecti: secundum, an circumstantia sit accidentalitatis actui morali solum considerato in specie sua; an etiam in individuo: tertium, an omnis circumstantia det bonitatem, aut malitiam moralem, et omni actui competat circumstantias habere.

III. Ac primum videnda sunt, quæ supra diximus in notatione ad quæstionem septimam, ostendendo quod circumstantia est accidens actus humani, etiam in linea morali considerati, et non solum in esse, et genere naturæ. Ut autem aliquid in hac linea sit accidens et circumstantia, requiritur quod ita attingatur ab actu, quod supponat dari aliquid objectum prius a se affectum in esse morali a quo specificatio in eadem linea sumatur, et sit principale volitum in ratione specificativi, deinde vero id quod se habet ut circumstantia sit accessorie, et consecutive volitum, licet etiam de illo ratio ordinet et disponat, verbi gratia, circa furtum non solum attenditur, quod sit res aliena, sed etiam quantitas ejus, et qualitas, ut quod sit in loco sacro, vel profano, etc. Et ratio non solum prohibet furtum, sed etiam quantitatem ejus, et qualitatem; sicut etiam in jejunio non solum proponit ut bonum ipsam abstinentiam, sed etiam ejus durationem, vel continuationem juxta proportionem virium, juxta quas etiam attenditur, quod actus fiat tam intense, vel remisse, prout convenire videtur. Quare semper istæ circumstantiæ considerantur ex parte objecti, quasi ipsum afficientes, et circumstantes, ut actus sic tendens in objectum, ipsas etiam attingat, et volitas reddat, et sic sit voluntarius erga illas, atque etiam de eis ipsa ratio disponat, nec enim potest ratio, et lex de illis disponere, nisi ut apprehensis, et a voluntate attingendis. Et sic actus eadem tendentia, et ordine quo respicit objectum, tangit circumstantias, quia respicit objectum ut vestitum illis, sicut de fine, qui est una ex circumstantiis diximus præcedenti articulo. Et recte explicatur exemplo visus, qui eodem actu, et tendentia respicit coloratum, quod est objectum specifi-

cum, et sensibilia communia sicut ejus accidentia, et modos, ut figuram, quantitatem, motum, etc.

IV. Quod si dicas: Si circumstantiæ sunt volitæ; ergo sunt objectum, et non accidentia objecti, respondetur circumstantias esse volitas secundario et consecutive, non per se primo et specificando, sicut etiam attingitur a visu quantitas, et figura colorati, et est objectum illius, sed non specificativum, et per se, sed ut aliquid adjectum primario, et ut sensibile commune. Unde licet circumstantia generali ratione possit dici objectum, quatenus ex parte objecti attingitur, tamen si objectum sumatur stricte, et speciali modo quatenus est specificativum, et primario affectum, sic circumstantia non est objectum, sed aliquid accessorium, et circumstantes quasi accidens objecti.

V. Sed tunc restat explicare, quando, et quomodo dicatur transire circumstantia in conditionem objecti, et quando manere in ratione circumstantiæ. Nam D. Thomas in hac quæstione XVIII, articulo X et XI, docet quod tunc circumstantia dat speciem, quando transit in conditionem objecti principalis, scilicet quando ratione sui, et non ratione alterius cui adjungitur, consideratur moralitas, et regulatio rationis. Quod aliqui intelligunt sic, quod tunc transit circumstantia in conditionem principalis objecti, quando est per se intenta, et volita, quia tunc solum præbet speciale motivum voluntati. Ad hoc autem, ut habeat conditionem objecti, requiritur quod per se moveat, seu præbeat motivum voluntati. Cæterum hoc nullatenus est verum generaliter loquendo, ut multis exemplis constare potest. Nam qui furatur in loco sacro, non intendens inferre injuriam ipsi loco, sed suæ necessitati subvenire, et qui in ecclesia mœchatur,

animo explendi libidinem, non autem intendens loco sacro inferre injuriam, uterque committit sacrilegium et habet aliam speciem moralem superadditam furto, quam speciem accipit ille actus a circumstantia loci, habente respectu illius speciei conditionem objecti: ergo esse directe volitum, et intentum non requiritur ut circumstantia det speciem novam, ut superadditam actui; ergo neque ut transeat in conditionem objecti comparatione ad talem speciem, quam præbet; nec enim illa circumstantia est solum aggravans intra eandem speciem, sed vere distinctam speciem constituens. Quare illa doctrina solum verificabitur in circumstantia finis, quæ transit in conditionem objecti principalis, quando est directe intenta, quia hoc est fini proprium, et conaturale ut directe intendatur, si quidem finalizat. Et idem erit si aliam circumstantiam ut loci, vel durationis, aut quid, seu damni secuti volumus pro fine habere, sic enim erit directe volita, et intenta, et hoc modo dabit speciem actui, sed non semper, et in omni circumstantia id requiritur.

VI. Respondetur ergo quod circumstantiam aliquam transire in conditionem objecti, vel non transire, non debet desumi per respectum ad voluntatem intendentem, et directe volentem, sed per ordinem ad rationem regulantem et ordinantem. Quando enim ratio ordinat, et regulat aliquid non ratione sui, sed præsupponendo necessario aliquid cui sit accessorium, et non aliter, tunc illa circumstantia per se manet in ratione circumstantiæ accidentaliter, et non transit in conditionem objecti, quia non induit per se primo ordinationem rationis, nec de illa ratio disponit, nisi ut adjuncta alteri præsupposito etiam in illa linea morali; sicut ratio non

prohibet quantitatem pecuniæ, quia quantitas est, sed quia aliena, et præsupponendo hoc, et non aliter; et tunc pertinet ad furtum ut accidens, et conditio ejus, et quasi modificans ipsum, quod non pertinet ad rationem, et conditionem objecti, eo quod ratio objecti specificantis (hoc enim est quod distinguitur contra circumstantiam) debet esse primo, et per se attactum, et non in vi alicujus præsuppositi, cujus modificatio, et accidens sit, quia specificatio est primum quod relucet in actu specificato. Si vero e converso se habeat, quod ratio primo, et per se ordinat de aliqua circumstantia, et non in vi alicujus præsuppositi, et tamquam modificationem illius, tunc dicitur circumstantia dare speciem, et non aggravare solum, vel diminuere, sed transire in conditionem objecti, et dare per se malitiam, vel bonitatem distinctæ speciei. Quod si in eodem actu concurrant, illa quæ est prior in ratione objecti constituet essentialiter, quæ vero supervenit accidentaliter, de quo dicimus infra.

VII. Unde S. Thomas in hac quæstione xviii, articulo xi dicit: « Quod aliquando circumstantia non respicit ordinem rationis in bono, vel malo nisi præsupposita alia circumstantia, a qua habeat actus speciem boni, vel mali, sicut tollere aliquid in magna quantitate non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsupposita alia conditione, scilicet quod hoc sit alienum. » Ubi non dixit sanctus doctor quod circumstantia manet talis, quando intenditur non per se, sed aliquo præsupposito, aut quod est objectum quando intenditur per se, sed solum dicit, quod manet circumstantia, quando non respicit ordinem rationis per se, sed aliquo præsupposito. E contra vero articulo decimo dicit, quod quando circumstantia addit specia-

lem repugnantiam, aut contrarietatem ad rationem, tunc mutat speciem. Hoc ergo pro regula attendendum est, non quid directe, et per se intendat voluntas, sed quid primo, et per se ordinet ratio de aliqua re. Si enim per se primo ordinat, non præsupposita aliqua priori conditione, quam modificet, et afficiat circumstantia, tunc constituit per se malitiam, vel bonitatem, et habet conditionem objecti. Si vero ordinat de aliquo præsupponendo aliquid prius, quod modificet, et afficiat, tunc manet circumstantia in ratione circumstantiæ: sicut in furto quantitas major, vel minor non accipit regulationem a ratione, nisi supponendo ablationem rei alienæ. Si vero talis ablatio fiat in loco sacro, et hoc addit rationem quamdam per se primo respectam, et attactam a ratione, scilicet ne fiat injuria loco sacro, quod in quacumque materia per se respicitur a ratione, sive in ablatione rei alienæ, sive in homicidio, aut adulterio, aut alia actione injuriosa, et ideo per se dat speciem, id est, ratione sui, quia injuria loci sacri est, et non solum ratione speciei malæ præsuppositæ, licet præsupponat aliquid ut materiam, in qua ista injuria exercetur, non ut rationem moralitatis conformis, vel difformis rationi, cujus hæc circumstantia sit solum modificatio. Et tamen licet hæc species sacrilegii, licet de se sit species moralis, et sufficiat illam constituere, dicitur tamen circumstantia furti, quia advenit, seu convenit actui præsupponendo priorem malitiam, seu speciem furti, et ideo ista secunda species non constituit primo, sed advenit constitutæ, ideoque rationem circumstantiæ, seu accidentis habet, licet hoc per accidens sit.

VIII. Ad secundam difficultatem supra positam dicimus, quod cir-

cumstantia non solum est accidens respectu actus considerati in specie, sed etiam in individuo. Aliqui tamen distinguunt de circumstantiis, et dicunt quosdam esse circumstantias actuum secundum gradum specificum, aut genericum, ut quantitas in furto; et hoc dicunt sufficere ad rationem circumstantiæ: alias esse circumstantias secundum gradum individuum, ut intentio, et remissio, duratio, locus et tempus, quia etiam remotis hic circumstantiis manet tota substantia actus individi, et sic accidunt actui, etiam in dubio: remota autem quantitate non remanet actus in individuo, sed secundum speciem tantum. Sed futile est hoc fundamentum, nam etiam remota duratione, non manet res neque in individuo, neque in specie, quia tollitur esse, et remota omni intentione, et remissione atque exhausto omni gradu, non manet qualitas; ergo idem est dicendum de ista circumstantia, atque de aliis. Quod si dicitur, quod remota tota quantitate non remanet individuum, licet remaneat, remota sola aliqua parte, contra est, nam etiam remota omni duratione, ita quod non sit, et remoto omni loco, ita quod nusquam sit, et remoto omni gradu intensionis, et remissionis, tollitur individuum, et qualitas, licet remoto hoc loco inadæquato, vel hac parte durationis, aut illa parte gradus remaneat individuum, et qualitas; ergo pariformiter se habent.

IX. Quare dicendum est, quod omnes circumstantiæ accidunt actui morali, etiam in individuo. Et D. Thomas supra quæst. vii, articulo iii ad tertium, docet causam efficientem secundum se præcise ut facit actum, et producit illum in esse, non esse circumstantiam, sed considerato efficienti secundum aliquam conditionem, verbi gratia si

ille, qui sic operatur sit laicus, vel sacerdos, aut aliquid simile; quod utique accidentale est, etiam in individuo. Et fundamentum hujus est, quia accidentia rei naturalis accidunt ipsi subjecto naturali, etiam prout in individuo, ut color, calor, frigus, loci et temporis mutatio, etc. Ergo etiam accidentia moralia debent accidere ipsi actui morali in individuo considerato. Circumstantiæ autem sunt accidentia moralia, quæ variari possunt in actu, et modo hæc, modo illa convenire: ergo debent esse accidentia, non solum actus moralis in specie, sed etiam in individuo.

X. Ad tertiam difficultatem supra positam respondetur, non omnes circumstantias actus dare bonitatem, vel malitiam, sed solum circumstantias morales. Illæ autem dicuntur morales, quæ dictamini rectæ rationis, et ejus censuræ subduntur, ita quod ad finem aliquem moralem conducant: aliæ vero omnino per accidens se habent, nec in linea morali pro circumstantiis habentur, verbi gratia, si aliquis furatur, non est circumstantia furti, quod sit vestitus veste nigra, vel rubra, cum pileo, vel sine pileo,posito enim, vel ablato tali accidenti, non mutatur dictamen rationis, et regulatio illius, nec circa hoc lex aliqua, vel regula rationis disponit: conducit autem ad moralitatem furti, quantitas rei ablata, quia secundum illam plus, aut minus damnificat, et similiter quod furtum sit occultum non vidente domino, aut quod sit per modum raptus, etiam ipso vidente, quod majorem violentiam infert, et injuriam irrogat. Et sic de istis diversimode disponit lex, et ratio. Tales ergo circumstantiæ morales sunt, et in linea morali considerantur, quia ad ordinationem, et regulationem rationis spectant, et secundum illas attenditur

majus, aut minus augmentum malitiæ, vel bonitatis.

XI. Ad id vero, quod in eadem difficultate inquiritur, an omnes actus humani habent circumstantias aliquas morales, respondeo aliquos sentire, quod non saltem in actibus internis voluntatis, qui versantur circa finem; respectu enim eorum finis non est circumstantia, sed objectum, ut docet D. Thomas in hac quæstione xviii, articulo vi, et sic dat substantiam, non circumstantiam. Reliquæ vero circumstantiæ, ut loci, et temporis, aut similes, non considerantur moraliter pro actu intentio, licet physice actus fiat in loco, et tempore, et ab efficiente, seu elicenti. Reliqui vero actus non interni, sed imperati, ad minus habere debent circumstantiam finis, quia ab intentione operantis procedunt ut ab imperante, et sic finis qui est objectum actus interni, est circumstantia externi.

XII. Sed nihilominus dicendum videtur, omnes actus morales habere aliquas circumstantias, de quibus ratio dictat, licet non sit necesse, quod omnes circumstantiæ concurrant in quolibet actu, sicut non in omni actu attenditur pro circumstantia locus, quia non refert quod fiat in isto loco magis, quam in illo, præsertim actus interior, ut quod aliquis syllogizet, et discurrat intra se, in platea, vel in cubiculo, vel in ecclesia, etc.

XIII. Sumitur ergo conclusio ex D. Thoma in hac quæstione xviii, articulo iii, ubi parificat actus morales rebus naturalibus in hoc quod perficiuntur actibus superadditis. Constat autem nullam rem naturalem dari sine accidenti aliquo; ergo nec res moralis, sicut neque artificialis, semper enim in individuatione rei prout fit, concurrunt aliquid præter id, quod essentielle est. Et præsertim quia in quocumque actu

## DISPUTATIO IX.

DE SPECIEBUS MORALITATIS.

## ARTICULUS I.

*In quo consistat formalis ratio boni moralis?*

I. Morale genus, de quo præcedenti disputatione tractatum est, vulgari divisione dividitur per tres species, scilicet per bonum, malum, et indifferens, de quibus sigillatim in hac disputatione agendum est, in qua tractamus de omnibus speciebus moralibus. Et primo occurrit species prima bonitatis, de qua oportet tractare, in quo consistat ejus differentia specifica, quia de ratione generica jam in præcedenti disputatione tractatum est.

II. Solet autem distingui duplex bonitas, scilicet absoluta et respectiva, bonum in se et bonum alteri. Bonum quidem absolute, et in se, est quod habet in se ipso esse perfectum, seu integrum in genere suo, et in ordine ad se, non ad alterum quatenus talis perfectio non solum constituit formaliter rem perfectam, sed etiam fundat appetibilitatem, qua moveat finaliter, et alligando. Bonum relate, seu bonum alteri consistit in convenientia, qua dicitur aliquid conveniens, seu aptum, et proportionatum alteri. De actu ergo bono morali constat habere bonitatem relatam respectu sui operantis, quia conveniens, et aptum est naturæ rationali, secundum rationem vivere, et operari. Sed quia hæc aptitudo, et convenientia fundatur in ipsa perfectione, et bonitate, quam actus habet in se in ratione operationis moralis, et actus debet perfectionem habere penes attin-

etiam interno, et imperante (nam in imperato ad minus invenire debet circumstantia finis imperantis, nisi transeat in conditionem objecti, et tunc judicatur de illo sicut de actu interno) semper datur aliquod accidens de quo potest ratio dictare, et regulare; saltem ipsa duratio, et continuatio actus, fervor, seu intensio, aut remissio, et comparatio ad alia, quæ occurrunt, verbi gratia in actu charitatis, qui maxime versatur erga finem, et est actus internus, et imperans, potest ratio mensurare, et discernere an debeat continuari, et durari tanto vel tanto tempore, vel cum tanto aut tanta intensione, et conatu, ita quod non impediatur alia negotia, quæ etiam instare possunt; et similiter debet attendere ratio quomodo, et qua obligatione teneatur hic, et nunc elicere talem actum, et sic de aliis circumstantiis occurrentibus. Ergo si in actu ita interiori, et qui versatur erga ultimum finem, sicut est actus charitatis, inveniuntur circumstantiæ, sine quibus non datur, quanto magis inveniuntur in aliis actibus, qui versantur erga fines intermedios, aut erga media, circumstantiæ reperientur, cum ad minus isti actus supponant alium priorem finem a quo moventur, et ille se habebit ut circumstantia. Vel si nullum finem supponunt propter quem fiant, hoc ipso erunt actus otiosi, quia debito fine carent, et fient quando non oportet, et ubi non oportet, quod est habere circumstantias.